

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0614

0612

0618

0608

0623

0603

0663

0563

0713

0513

1113

0113

Ende

Anfang

41

mira ibi gesta est locus serii, et non gaudii, fletus et non risus, orationis et non clamoris, prostrationis et non luctationis, poenitentiae et non petulantiae. Sed peregrini stilum vertunt, et in loco tam terribili timore deposito frena debitae maturitatis laxant, et ideo puniuntur aliqui in exemplum aliorum. Nihil autem molestum accidere solet mature et devote se baptizantibus, sicut patet in mulieribus peregrinis, quae supra nos in arundinibus etiam balneantur cum pudore, silentio, devotione et cum maturitate, multo magis quam nos. Optassem pro illis vetulis, vulgi famam sortiri in eis effectum. Refert enim vulgus, quod qui in Jordane balneatur, ulterius non senescit, et cum hoc, quamdiu in flumine manet, tam diu juvenescit, ut pote, si una hora balneatur, una hora junior efficitur, si duabus duabus, si tribus tribus, si annum annum. Indiguae fuissent nostrae sociae hoc balneo LX annis ad recuperandam juventutem, quia fuerunt octogenariae et ultra. Si balneantes in Jordane non senescerent, profecto malum balneum esset, cum Dominus per prophetam Esaiam Cap. 65. dicat: puer centum annorum morietur, et maledictus erit. Optabile per omnia balneum esset, si invaletudinem, deformitatem et senectutem corporis tolleret, et mentis canitiem afferret.

Porro hanc fatuitatem vel simplicitatem multi saeculares habent, quod credunt, si in Jordane baptizentur, quod post hoc non senescant, et ideo tanto conamine laborant, ut ad Jordanem perveniant, et se invicem baptizant, scilicet qui in profundum immergunt contra secundam prohibitionem Sarracenorum.

Cum autem finis balneationis advenisset, quidam peregrini in amphoris, in flasconibus, in vitris hauserunt aquam de Jordane, ut secum ad patriam ferrent, contra tertiam prohibitionem Sarracenorum, qui ad instinctum patronorum hoc prohibuerunt, non enim sustinent navium gubernatores aquam hanc in navibus, quia credunt firmiter, quod naves illae, in quibus aliquid de aqua Jordanis est, sint infortunatae, nec habeant expeditam navigationem et stent in periculo, quam diu aqua Jordanis etiam in minima quantitate habeatur in navi. Nam hoc saepe vidi, quod instante periculo in mari propter